





FEBRIS MALIGNÆ  
TOPICÆ  
ANGINA GANGRÆNOSA  
VOCATÆ

SUCCINCTAM DELINEATIONEM  
CONSENSU

GRAVISSIMI MEDICORUM ORDINIS  
PRO LICENTIA

SUMMOS IN MEDICINA HONORES  
ET PRIVILEGIA DOCTORALIA  
LEGITIME ASSEQUENDI  
SOLENNI ERUDITORUM ARBITRIO DISCUTIENDAM  
SUBJICIT

FRANCISCUS LALLEMAND,  
LIX HEIMENSIS.  
DIE 6 MENSIS NOVEMBRI MDCC LXVI.  
H. L. Q. C.

---

ARGENTORATI,  
EX PRELO KÜRSNERIANO.

LAZARUS RIVERIUS

*Praxeos Medicæ Lib. XVII. Sect. II. Cap. I.*

Febres continuæ primariæ generari solent ex putredine humorum, qui in venis & arteriis majoribus continentur, &, pro varia humorum putrescentium natura , variæ species emergunt,



§. I.

**I**nter clinices tormenta , & canescentium in arte magistro-  
rum sagacitatem s̄epe eludentia, dudum locatæ fuere sic  
dictæ epidemicorum morborum constitutiones, ex qui-  
bus sane pessimæ dijudicatu, difficillimæ curatu illæ pro-  
nuntiari merentur, ubi sanguinis crassamento putris afper-  
git labes. Climatis squidem, aliarumque potentiarum  
nocentium , ne dicam seminiorum , mira hic varietas;  
machaonum, pro gentis discrimine, aliis remedium dimicantium , diversa-  
que methodo notati mali ideam posteritati tradentium discrepans geniū;  
ac denique malignorum furentium morborum fere semper nova facies rem  
adeo non confectam , stabilitamque circa condendas certas epidemicorum  
putrium classes arguunt, quin nova denuo, & in eadem atmosphæra, re-  
pullulans constitutio recentes de mali specie, ac fuscipenda medela exci-  
tet lites, quas componere ne acutissimorum in potestate s̄epius est.

§. 2.

Militat inter hujus farinæ mala illa singularis morborum putrium,  
ut plurimum epidemice furens, nec ulli ætati parcens, species, in qua  
quidem putris squalor toti massæ humorum innidulans veram malignam,  
Synocho putri quoad genium accidentem , remittentis, rarius intermit-  
tentis typi, febrem accendit, quæ tamen tumore pejoris indolis, ac escha-  
rotica, foeda exulceratione , ad illa præcise respirationis & deglutitionis  
mucosa organa, quæ Angina spuria catarrhalis vulgo prehendit, presso pe-  
de ex propria natura excipitur , per metastasin symptomaticam huc versi-  
septici, femicostæ tomitis , inflammationem, ac dein diabroſin ichoroſo-  
gangrænosam, serpentem excitantis, progenie.

A 2

§. 3.

## §. 3.

Ex annalibus Observatorum pestis hujus sat elucescit antiquitas, quam & remotissima jamjam saecula a Cynanche vera inflammatoria in gangrenam tendente probe dispescere norunt. Aliqualia, ni totus fallor, ejus vestigia jam sub titulo *ulcera faucium cum febre in Coo Progn. ed. Chart. Tom. VIII. p. 672. & Coac. prænot. n. 277. ib. p. 867. nec non de denit. Tom. VII. p. 872.* &c. reperio. ARETÆUS præse antiquitatis scriptor, de causis, signis, ac cura morb. acutior. Lib. I. Cap. IX. agens, primus, quantum novi, exactam *ulceris gangrenosi & contagiosi*, sub nomine *exæsa, crusta*, infantibus præcipue tunelti, ac Anginæ putridæ ex asse similis, exhibuit delineationem, quod in Ægypto & Syria secundum tunc temporis malum inde quoque *Ægyptica vel Syriaca* nuncuparunt *ulcera*. AETIUS circa finem saeculi quinti *crustos & pestilentia tonsillarum ulcera* pueris præprimis familiaria graphice describit *tetrabil*. Lib. II. Serm. 4. Cap. 46. Ex hoc ævo nec ullum novi, qui inter Latinos, & Arabes, &c. hujus epidemiarum contagiosis peculiarem fecit mentionem ad finem saeculi decimi sexti, aut initium decimi septimi usque, quo tempore Hispaniam, Italiam, Siciliam devastavit. Medici tunc temporis de cedendo ejus titulo solliciti in varias dehiscentib[us] opiniones, quoad naturam mali licet concordes, vide MOREAU epistolam ad calcem THOMÆ BARTHOLINI de *Angina puerorum Campan.* & Sicil. epid. opelle adjecta p. 128. Eorum præcipui autoptæ sunt: SOGLIA Med. Neap. de *fauc. ulc.* 1563. CARNEVALA de *epid. strangul. affectu*. Neap. 1602. SCAMBOLI de *peſt. fauc. affectu*. Neap. 1610. FONSECA de *Anginis. Compluti* 1611. LASCALES DE QUADALAXARA de *affectu puer. cum tractatu de morbo Garotillo. Madriti* 1611. NOLA de *epid. phlegm. angin. Neap. Venetiis* 1620. DE LA PARRA in *polyanth. med. spec. Madriti* 1625. ALAYMI in *conf. pro ulc. Syr. nunc vagi cura. Panormi* 1632. SIGNINI de *Morbo Strang. Romæ* 1636. DE PINA de eodem morbo *Sarragoſe* 1636. RAMAZZINI in *conf. epid. 1689.* &c. Conf. quoque SEVERINI in *libro de recondita abſ. natura. Lugd. Batav. 1724.* de *peſte ac prefocante pueros abſcessu* monumenta. Ill. BOERHAVE *aphor. 984.* de *Aphthis sermonem faciens mali genium tangit*, ut & ill. ejus commentator VAN SWIETEN Tom. I. p. n. 766. ast non nisi genericam *Aphtharum malignarum suppeditant delineationem*, cuiuscunq[ue] putri morbo familiarem. Ante eos WEDELIUS de *morb. infant.* Cap. XX. p. 72. Anginæ epidemicæ contagiosis, pueris solennis, Italix præprimis notæ memor est. Altis vero tenebris ejus distinctam ideam apud auctores medii xvi mersam fuisse inde autumo, quod scriptores circa medium saeculi nostri præclari morbum passim pro novo, & inaudito venditent mali. Non possum non hic, lectione plurium imbutus, palmam præbere eximiis Anglis, qui, quoad mali legitimam cognitionem ac medelam, rem acutigisse

tetigisse mihi præ reliquis videntur. Primus ex ipsorum corona FOTHER. GILL luis sub nomine *Angina ulcerosa* peculiari scripto mentionem facit, illamque cordate depinxit; post eum HUXHAM, *Anginam malignam*, *gangrenosam Angliam* ab anno 1751. usque ad annum 1753, devastantem tradens, (cujus exacta recensio reperitur in Recueil period. d'Obs. de Med. &c. Tom. VII. p. 241, 321.) nec non STARR Philos. Transact. Vol. XLVI. p. 435. sq. & WALL de lie Worcesterhirensi omnem absolvunt paginam. Nec prætereunda hic est Gallorum folertia, ex quorum cohorte encomiis condecorare liceat ill. MALOUIN Mem. de l'Acad. 1746. p. 154. 1747. p. 581. &c. pestem hanc 1743. Galliae demum notatam docentem; CHOMEL epidemiam inter moniales Lutetiae Paris, grassantem sub titulo: *Diss. Historique sur l'espèce de mal de gorge gangreneux parmi les enfans*. Paris 1749. tradentem; ASTRUC in epistola ad calcem hujus opusculi posita; DUBOURG in litteris ibid. reperiundis Fijaco missis; SERANE in Actis Acad. Monspel. Tom. II. MARTEAU Aumalæ Medicinam facientis litteras ad Neracensem clinicum RAULLIN, hujusque responsum Recueil period. Tom. IV. p. 222. Tom. XI. p. 145. BOUCHER epidemiam Lillensem l. c. Tom. VIII. p. 556. Tom. XVII. p. 396. DEBERGE Anginam inflammatorio-gangrenosam Picardie ib. Tom. XII. p. 159. DUPUY DE LA PORCHERIE epidemiam Rupellensem agrum devaltantem l. c. Tom. XVIII. p. 496. BRONGET, Reg. in Fontainebleau xenodochiorum clinicum, hic observata posteritati mandantes. Helvetorum denique fidus TISSOT epidemiam Lausannensem, infantibus præprimis fatalem, orbi litterario communicavit. Liceat nunc, supposita omni Anginæ veræ cum suis sequelis, pallidæ BOERHAVE aphor. 785. febrifæ, convulsivæ, paralyticæ. &c. vasta historia, lui depingendæ vix, nisi non propter, affini morbum ex se ab initio ad finem usque putrem paucantibus monumentis, in eandem speciem concinnare, illique determinatam classem inter corruptiones humorum putres, certa organa eminenter infestantes, vindicare.

## §. 4.

Non mirum morbo crassis, per sat longum tempus, tenebris circumfuso tam ex sua natura, quam ejus symptomatibus plura sensim acrevisse nomina, mali ideam plus minus exprimentia. Anginæ nomen non quidem primitive a Græco ἄγχειον angere, sed potius inde accepisse vituris loca canibus crebrius vexata, supraea innuo respirationis organa, stashi metastatica præcise afficiuntur. Sic interpretor *Cynanchen malignam* PANAROLI pentecost. 5. *Cynanchen gangrenosam* MARTEAU l. c. §. 3. & HUXHAMI

HAMI *ibid.* *Cynanchen ulcerosam BOUCHER l. c. Cynanchen synochalem DE SAUVAGES Nofol. Method. Tom. II. P. I. p. 485.* Vetat ill. vir, exactioris sermonis cupidus, simul morbum Anginam vocare, cui Cynanches titulus sit adæquator *ibid.* P. II. p. 195. Græcorum Πηδαγχον SEVERINI a strangulatione pueris familiarissima deduco. ARETÆUS Αγχονν λοιμωσίην, seu Anginam pestilentialem salutat *l. c.* Hispanis, Italis vox *Garotillo* placuit, quasi æger funibus stranguletur; ill. STARR cum Anglis §. 3. morbum inde quoque strangulatorum nuncupant; Galli *Equinancie epidemique, Coqueluche, mal de gorge gangrenueux, malin, contagieux*; Germani *bösartiges Halsweb*. Minus adæquate *Febris rubra*, ob symptoma speciale cutis, audit MARTEAU *l. c.* aptius *Aphtha epidemicæ seu ulcera gangrenosa infantum, CHOMEL l. c. p. 42.* Re rite perperna, cum epidemice primariam a typo comitantis febris felicis fortiantur denominationem, ille titulus maxime arridet, quo juxta HUXHAM, vide ill. DE SAUVAGES *l. c. Tom. II. P. I. p. 283. Amphimerina anginosa*, ob continuam remittentem vesperi exacerbatam, nuncupatur; circumscribendo vero *continua remittens putris cynanchodes febris, aut topica, localis fauci putris*. Genius cæteroquin mali ipsi epidemicæ, putridi, maligui, contagiosi, gangrenosi, ulcerosi epitheta vindicavit.

## §. 5.

Multiplex est, in quam dehiscit luis hujus divisio. Quando videlicet, juxta KRAHMER *Diss. de Febre maligna topica bilioſa vel choler. putrec. Arg. 1765.* febres putridas in peculiaria corporis loca non affectantes, sed metastases incertas, ad glandulas, corticem corporis fingentes; & locales febres, trunci partes, collum, pectus, facci peritonei viscera eminenter in toto decursu infestantes divido, malum inter topicas gutturis febres jure loco, rufus illud in respirationis vel deglutitionis organa primario, vel utraque simul affligens dimembrans: hæc localis divisio. Materialis illa est, qua fomes certarum constitutionum in primis vel secundis viis præcise querendus venit. Cynanches sic gangrenoso bilioſa DUPUY *l. c. §. 3.* memor est, non præcipue infantes, sed & adultos, senes, mares, foeminas indiscriminatim prehendantis, a putri bilioſa colluvie sanguini ex prima culina affusa derivandæ. In secundis viis ortum sumens morbi fomes rufus vel genium Anginæ inflammatoria veræ in gangrenam veræ induit, ut Cynanche inflammatoria gangrenosa Picardæ DEBERGE *l. c. §. 3.* vel mox foedum morbi actu putris depromit characterem, ut ab HUXHAMO cæterisque Anglis depicta labes. Raro cæteroquin malum, si unquam, sporadicæ prehendit, quod Anginæ veræ gangrena finite tunc potius accenserem; ut plurimum enim constitutionis schema præ se fert. Divisio tandem Amphimerinæ hujus in illam cum, & sine tumore extra oleas

oleas vagatur, cum virium vitæ, & affluxus tabi ad locum affectum majori, minorive gradui unice sit tribuenda.

## §. 6.

Discrepat Angina gangrænosa essentialiter a vera illa in sphacelum versa in eo, quod hæc non nisi predispositos, malis succis turgidos, negligatos, male curatos, &c. prehendat; mea vicissim totas depopuletur urbes, ac regiones, & sanissimos quoque corripiens. Differt porro, quod putrida Amphimerinam, sive continuam remittentem quotidianam, raro intermittentem; vera comitem alat mox continuam, cum pulsu duro, se-brim. Differt a metaftasi aliis maligni morbi, quæ tardius, sporadicæ ut-plurimum, prehendit gurgulionem. Differt ab aliis epidemias in eo, quod tantum paucos homines una aggrediatur vice, contagiosa licet sit, MARTEAU l. c. A Pleuride epidemica, Asthmate, anhelosisque aliis morbis præsentia doloris strangulatorii, ac Aphtha gangrænosa gutturis, nec non respiratione ( Pharynge præcipue prehenso ) minus, imo utplurimum ne-quaque alterata sejungitur. Pestis denique hæc nec confundenda est cum illa boum lue a SEVERINO anno Christi 1618. in Italia observata; licet ill. DE SAUVAGES l.c. Tom. II. P. II. p. 195. & MALOUIN l.c. p. 156. præ-eunte SEVERINO l. c. §. 3. huic contagio multum communis cum bestiarum strage tunc simul observata, tribuant; illos enim pulcherrime refutat CHOMEL l. c.

## §. 7.

Angina gangrænosa gradu vehementiæ & velocitatis, pro varia constitutione & subiecto, &c. discrepans, nihilominus tria ubique adoptat stadia, pro diverso climate, mora eximie variantia: nimirum invasionis, inflammationis, & resolutionis succorum in putrem tabum, licet mox in secundo Aphtha metastatica ad fauces, siderationem prodens, appareat, imo non nunquam invasionem præcedat, quale quid adeo frequenter in pestilentialibus morbis alibi fieri notarunt auctores. Sub invasione infantum uvula pro-longata altius propendet, levis, nullo prægresso horrore, calor cum dolore fauces prehendit, lingua plus minus tumidula, humida, ast non conspurcata est, parca tunc utplurimum febricula notatur. Inopino & primis viginti quatuor horis altera tonsillarum alba tegitur macula, quæ Aphthæ genium adipiscitur. Hæc absque tumore visa undiquaque extenditur, uvulam prehendit, quam depascitur, versus pharyngem descendit, ad Schneideri pariter membranam propullulans. Nares crebro fusum pluunt cruentem. Inflammatio febre ex hoc tempore aucta indigitatur, Hoc stadium comitatur graveolens spiritus,

spiritus, Eschara albicans, fixa, spissescens, crustacea facta lardo similis, per plures petiolos altius inhærens, vel post secessum novam prodens. Pulsus frequentior quidem, ast minus ad tactum, quam in vulgari phlegosi, durus est, uti in hocce omnium putridarum constitutionum a clinico notatur stadio. Lotium minus, quam in Angina vera, flammeum, potius pallidum, tenue, crudum, parcum, profundioris apud adultos coloris, teste HUXHAM l. c. p. 244. 246. mingitur. Carotides vehementer micant, nulla Cephalalgia, Delirium nullum adfunt, narium cruentum perseverat stillicidium, membrana pituitaria ulcere gangrænofo exeditur, vox nasuta, ad articulationes vix apta, crebram narium expurgationem desiderat limpидum, acrem fundentum ichorem. Summa urget macies. Parotides quibusdam absque suppuratione ab una ad alteram migrant aure. Stadium tertium urina cruda, fæces nigricantes portendunt. Cum his nullum sputum, nulla ex gargarismatibus, & summo acore animatis, utilitas, vires fractæ, pulsus intermittens, odor cadaverosus, tracheæ, pulmonum ulcere erosorum respiratio molestissima, sibilosa gangrænam nobilis visceris, & necem quinto, frequentius septimo, aut nono præsa-  
giunt die, acie oculorum nec in agone fracta.

## §. 8.

Et in adultis recensita §. 7. stadia lues offert, adeo vero præcipitanter plus minus in diversis sece excipientia subjectis & constitutionibus, ut vigil clinicus, si unquam, sene hic, sit necessarium. Graphice BOERHAVE aph. 816. omnis causa inflammatoria, si valde augeatur, in gangrænam abit scribenti hic fuggerem: omne contagium vires vitæ mox dejiciens, ac fluida pessimæ labis gradu inquinans phlegosin vix observabilem, festinantem potius procreat resolutionem, serpenteque necrozin; tale vero, quod in limine compagem elementarem minus enervat, ad ciendas, ante destructionem, inflammations, cogendamque humorum massam moram necit. Qui mirum itaque DEBERGE l. c. § 3. tria stadia in lue sua exactius distinguere potuisse, quam STARR ib. Prior enim nostram Anginam ex durante per tempus inflammatione demum gangrænofam depingit, posterior vero velocissimam pestem, in qua contumax Eschara, ultimique gradus universalis corruptio momento citius virus suscepturn exceptit. Nil vero invasione irregularius: invadit siquidem adultos mox levi calor, & doloris faucium sensu, febricula vix percipienda, elapsio biduo, triduo evidentiori, remittenti, vel intermittenti facta; mox laffitudo, torpor, oscitatio, caloris frigorisve alternantium sensus; mox subitaneus rigor, obtusus tonsillarum dolor, inopina ad aures lateris mox afficiendi punctura; mox tumor magis, minusve dolorificus parotidum, maxillariumve; vel denique vomitus absque mo-  
lestio

lesto stomachi sensu ægrum prehendunt. Sanguis venæ tuſæ coccineus, ſecedens placentam gelatinofam, raram, ſerum copioſum flavum monſtrat. Lotium in limine tenuę, pallidum, ſero lactis æmulum, malo aucto bilioſum, meliori re turbidum; ſedimentum farinaceum præcipitans mingitur. Hæc ſenſim graviora excipiunt ſymptomata: diſſicilis deglutiſio; atrocior fauicium, ad aurem alterutram feſe extendens, dolor, cum Sonitu, Tinnitu, Bombo; dolor capitis gravativus, vel puncitorius; febris aucta, ſemper tamen inflammatoria vera mitior, vefperi recrudescens, pulsus parvus, celer, paululum durus, raro mollis, magnus, undofus; Nauſea, Ructus nidorofa, Apoſtia, Vomituritio. Vomitus materiæ æruginoſæ; Diarrhoea rarioſ; facies pallida, plumbea, tumidula, oculi fixi; tonsillæ indolentes, tumentes, ex albo pallidæ, vel fuſco rubræ; ſanguis miſſus crufa tenaci plumbea teſtus. Gangrenæ vero ſtabilitæ nuntii ſequentes ſunt: cruor venæ ſectæ gelatinofus, virideſcens, nigricans, marmoraceus; memoratæ gutturis partes cuticula alba, plus minus craſta, teſtæ, ſubinde tantum maculae albæ tonsillarum, confluenteſ, & Aphtham ſerpentem fingenteſ (ſignum pathognomonicum) breviſimo quidem tempore, ita ut os bihorii ſpatio hiſ plane obducatur efflorefcentiis. Hæc partes vicinas, gurgulionem, palati velum, residua hic locatas glandulas momento citius prehendunt, que tument, liveſcunt, ac dein crufa tenaci, alba teguntur. Inde adeo manca fit deglutiſio, ut ſpurco ſpectaculo potulenta per nares ejiciantur. Cum hiſ lingua albis contaminata ſordibus, ſalivatio mucoſa, graveolens; altius repente ſerpens mephytis tria peculiaria præprimis lucratur loca nares, laryngem, vel pharyngem. Si ad Schneideri membranæ mucoſos vergit fontes, vox fit naſuta, ichor limpidus, roden-tiſſimus e naribus ſtillat, ingruit ſternutatio, inutilis ad muſcum elicien-dum conatus, partium tumor, ſolutique cruoris e naſo ſtillidium; fi ad laryngem, vox rauca evadit, fi ad tracheam, vox nulla, fi ad pulmo-nes, tuſſis impotens, ferina, oppreſſio pectoris, mors; fi denique ad pharyngem, œſophagum, ventriculum deſcendit, utpluriſum conclamata-reſ, Singultus, Vomitus iners ægrum auferunt.

## §. 9.

Efflorefcentiæ cutis huic morbo ſolennes ſunt vel ex critico-metatico, vel ſympomatico poffima quæque designanteſ. Conſiſtunt vero utpluriſum eruptione flammæ, apud infantes febris ſcarlatinæ exanthe-matibus æmula, vel cutis ex fuſco rubra fit, minimis pufſulis duris hir-ta, facies, oculi, brachia abſque ſudore utpluriſum tument, in collo, brachio, peſtore pruriſus excitatur. Eruptione ſecundo, aut tertio facta die, albidæ ſunt maculae, cutis bono deſquammatuſ ſigno. Si primo jam die

die apparent, utplurimum peffimi ominis purpureæ, fuscæ, violaceæ, genium ægre mutabiles deprehenduntur. Terminatur porro vel felici metastasi ad parotides morbus; vel crisi per sudores desquamantes, lotium, fedes, ptyalynum, conf. HUXHAM *l. c. Tom. VII. p. 251.* & MARTEAU *ibid. Tom. XI. p. 151.* vel lyli, si Eschara sensim minor sit, alba, tenuis, si partes vicinæ nativum recuperant ruborem, si Eschara dehicit, & inter fissuras carnes subjacentes vividæ, floridæ apparent, si deglutitio facilior. Nece viciſſim lues terminatur, si Aphtha ſemper magis propullat, si crux craſſa, flava, gryfea, fulca, nigra, partes vero adjacentes ex fulco rubræ apparent, si Eschara decidua mox regeneratur, ſpongiosæ, tumidulæ, lividae fūnt ſubjectæ carnes, fauces inſenſiles, lingua prope basin valde tumet, graveolens intenditur halitus, oculi concavi, lacrumantes, extremitates plumbei obſervantur coloris. Peſſimæ notæ ad ſummum culmen pervenit quinto aut ſexto die apud juniores epidemia; apud adul‐tos tardius, undecimo vel duodecimo utplurimum die. Horum tamen aliquos ſecundo aut tertio die jam necatos vidit HUXHAM, tardius Peripneumonia, Coma, pulmonum ulcus, Hectica trucidavit *l. c. p. 251.* Mitiori Laufannensi infantum lue in aliquibus mox a primo die in melius, aliis tertio, quarto, quinto demum die cuncta vergebant, cedente cutis rubore, colli tumore, calore mitiori, pulſu, haſtenus celeri, lentiori facto, pellibus abſcessus folliculorum tegentibus deciduis, repletis ulceribus, dum ſimil ſomnus quietior, appetitus ſolidorum recruduit. Morbi deuteropathici, pro variis ſubjectis, notati fuere: Peripneumonia, Scabies, Tuſſis ſicca, Phthysis, Hectica, Febris marasmus, comatofa, Leucophlegmatia, Aſthma, pectoris Hydrops, tonsillarum Scirrus, viſusque tandem debilitatus. Conf. MARTEAU *l. c. p. 151.* Historiam morbi recenſtam iluſtrant ſectiones cadaverum a MARTEAU *l. c. Tom. IV. p. 228.* DEBERGE *ib. T. XII. p. 162.* & CHOMEL *l. c. p. 17.* reliqtæ; morbum ex gangrænoſo meo & bilioſo complicatum depronunt viſa reperta DUPUY *ib. T. XVIII. p. 503.*

## §. 10.

Quod ſi tenellam, laxam, ſucculentam infantum compagem, eorum temperiem calido humidam, ac intemperantium ſimil intueor, qui miror BECHERUM *Phys. ſubterr. Lib. I. Sect. V. Cap. I.* huic ætati fontem putriginis præ reliquis attribuere? imo jam ARETÆUM *Lib. I. Cap. IX?* Hinc eft, cur laxitatem fibrarum, tanquam ſeminum naturale, hic accuſet WALL *l. c.* ætatem infantilem a ſecundo ad duodecimum annum TISSOT *l. c.* infra decimum annum RAULLIN *l. c.* cur ab initio, ſi epidemia generalis eft, mox infantes, præ reliquis ætibus, prehendant juxta DEBERGE *l. c. Tom. XII. p. 159.* cur infantes & juniores malo magis expositos eſſe adul‐tis,

tis, unanimi quoque ore pronuntient HUXHAM *l. c.* Tom. VII. p. 242. MARTEAU *ib.* Tom. XI. p. 145. DEBERGE Tom. XII. p. 164. & CHOMEL *l. c.* Inde pueræ & mulieres plus quam pueri virique, præcipue tenellæ foeminae, ad suscipiendum gangrenosum hunc morbum dispositæ notantur a BOUCHER *l. c.* Tom. VIII. p. 557. MARTEAU Tom. XI. p. 145. ac TISSOT *l. c.* brevique epidemia septuaginta puellas simul correptas BRONGET *l. c.* habet. Adultis interea, ni aëris constitutio ad pessimum inclinet univerſalemque tabi gradum, rarius infensus, vix unquam funestus est observatus morbus a TISSOT *l. c.* quem & adultis fortissimis lethalem vidit RAULLIN, senibus vero cunctis parcentem *l. c.* Cæteroquin, cum malum, ut mox dicetur, primariam ex intemperie aëris fortatur originem, non mirum mucosas glandulas, atmosphæræ injuriis continuo expositas, circulo alias lento dotatas, ad necroſin in limine mox inclinare. Recte præterea CHOMEL polyaimiam inter seminia præternaturalia Anginæ nostræ locat & obſtitutem *l. c.* p. 20. ab omni ævo a practicis epidemiarum tempore, ut malo fomitem addentes, reformatas. Partes faucium olim per Anginas vulgares nimis relaxatas, & affluxum ad eas inde auctum, celeioremque resolutionem per Anginas habituales apud MARTEAU Tom. IV. p. 223. lego. Cito putrescentem falivæ & muci glandularum naturam ex Comm. Acad. Petrop. Tom. XIV. p. 210. hic adducere licet. Pectus, ut vocat, debile valde arguit ASTRUC p. 112. Chlorofisin, sive Cachexiam pituitosam mulierum ad malum in glandulis mucosis primario nidulans difponere ex CHOMEL observationibus disco.

## §. II.

Morbos epidemicos, contagiosos depravatis auræ qualitatibus utplurimum deberi res pene confecta eit, inter quas periculosisſima jam ab HIPPOCRATE de nat. humana, & GALENO Comment. in aph. 16. Lib. III. Comm. in Lib. III. epid. cenſetur putredo per diurnos calores humiditate aëris interspersos, vel terminatos prognata, unde simul respirationis organi frangitur tonus, prohibetur ex cruce halans volatile halituosum revera putre, fugitur, perpetuo tabum tabo addens, spurca materies, flante præcipue austro juxta MALOUIN *l. c.* & RAULLIN *l. c.* Tom. IV. p. 232. 233. Huic atmosphæræ faciei frigus siccum inopino succedens inquinatos succos in canaliculis repente ſiftens, quid mirum cur organa eminentius ſideret, debiliora, magis ejus injuriis exposita, jam ita docente COO Seſt. III. aph. 1. Sic peftem infantilem CHOMEL p. 60. præcessit æftas arida, diuturna, auctumni prodromus humido-calidissimus, octobris primi dies frigore repentinō ſiccō mordaci, ipſoque gelu, ac matutinis nebulis notabiles, ARETÆO jam ſucepta in ſimiſi caſu tempeſtas *l. c.*

*Lib. I. Cap. IX. AETIO l. c. ac WEDELIO l. c. Cap. XX.* Udam aëris temperiem per se , ut corporis compagem relaxantem , transpirationem supprimentem , jam taxat *Cous epid. Lib. III. HUXHAM de aere & morb. epid. prol. p. 17.* & respectu Amphimerinæ meæ *MARTEAU l. c. Tom. IV. p. 230.* ac *RAULLIN ib. p. 232.* Pluvias tempestatem *MARTEAU Tom. XI. p. 145.* ac *DUPUY Tom. XVIII. p. 508.* accusant. Hinc est cur epidemia mente octobre præsertim fuerit observata a *CHOMEL l. c. p. 1.* totoque auctumno a *MARTEAU Tom. IV. p. 223.* ac *RAULLIN l. c. quam frigus siccum, constans adeo feliciter dispulit, calore recrudescentem teste MARTEAU Tom. XI. p. 145.* *DEBERGE Tom. XII. p. 162.* Hinc aërem humidum Parisinum 1746. januarii adeo infantibus fatalem vidit *MALOUIN Mem. de l'Acad. l. c. p. 154.* nec nebulosis halitibus gravidum insontem *TISSOT l. c. & DEBERGE Tom. XII. p. 160.* Hinc loca uliginosa malo ansam adeo præbent juxta *DUPUY Tom. XVIII. p. 496:* consensu omnium oræ maritimæ , v. g. *STARR, HUXHAM, BOUCHER, &c.* regiones valde depresso *BOUCHER Tom. VIII. p. 558. Tom. XVII. p. 399.* Inde urbes, pagi nebulis tecti, humidi vallium primario periclitantur *MARTEAU Tom. IV. p. 223.* nemoribus cincti nebularum dissipatione per ventus non gaudentes *DEBERGE Tom. XII. 159.* quas, ut optimum antidotum adeo mire expungunt procellæ, pluviaque frigidæ referente *DUPUY T. XVIII. p. 508.* Nullus itaque miror Amphimerinam gutturalem meam *MARTEAU T. IV. p. 229.* contagiosam pronuntiasse, utpote cui naturæ recensita omnium optime favet atmosphæra, siumque characterem regnantibus tunc temporis aliis morbis mox communicasse monente *RAULLIN Tom. IV. p. 234.* Testatur *BROKES in vollj. Handbuch der pract. Arzneygelahrheit. T. I. p. 420.* omnes exanthematicos simul regnantes morbos pejoris farinx fuisse; *MARTEAU* simul graffantis epidemicici morbi coqueluche cum phlegmone liquida colli memor est *T. IV. p. 229.* sicce , epidemicæ membrorum gangrenæ *BOUCHER Tom. XVII. p. 505. sq.*

## §. 12.

Præter autem alterationes *ARETÆUS l. c.* jam plures alias allegat nocentes potentias , aquas Nili , quas hauriunt incolæ, spissas, limo contaminatas accusans, ac cum eo *Sequanæ* imundum laticem a Parisinis ingurgitatum *CHOMEL l. c. p. 63.* potumque aquarum coenosarum, stagnantium locorum paludosorum , cum oleo tartari p. d. colorem cœrulescensem induentium , ac sedimentum mucidum , albicans , spissum deponentium, incolas ad Cachexiam, oppressiones pectoris, Cardiognum disponentium

tium DUPUY Tom. XVIII. p. 498. Nec tamen hic cum TISSOTO de epidemia Lausaniensi sentirem, materiem acrem, præcipue apud infantes, cum vietu affumi suspicante, quoniam, superato morbo, Diarrhoea cum exulceratione intestinorum, Hæcica, doloribus summis eos adeo frequenter trucidat, quem eventum potius tabo ad primas vias §. 8. vaganti, & ibi ichorofas suppurationes, desquamationesque chronicas excitanti adfiniterem. Carnei vietus hoc intuitu vituperia nec in ullo auctore lego, cuius incommoda, respectu aliorum putrum producendorum malorum, adeo nitide pinxit ill. HALLER in Elem. Physiol. T. VI. p. 210. nec pisculent vietus generalia damna, quæ ex HALLERO l. c. p. 205. haurio, nisi a DUPUY T. XVIII. p. 497. Anginae putri cerno applicata. Famem, inediū infimi præsertim plebis infantum forsan hic aliquid contribuisse non sine ratione autumo. Sane saliva per jejuna cum muco acris fit monente TCHIRNHAUSEN med. corp. p. 23. Breslauer Sammlungen 1733. ut totum os doleat, ac peculiari foetore inquinetur anima. Saliva, mucusve similiter ex usu hydrargyri facilime putreficiunt, & signa naturæ alcalinæ dant, vide BARON ad LEMERY Chem. p. 190. Nitide MARTEAU T. IV. p. 229. vermium intestinalium, in hac epidemia a cunctis obseruatorum, putrilagini inter potentias nocentes locum tribuenti respondet pro negativa RAULLIN ib. p. 235. sq. les vers sont un effet de la corruption générale, &c. Minime tamen negarem copiosa hæcce infecta in primis viis enecata nolum fomitem prætino primario addere posse, quo huc vergat præcise deleterii mali progressus. Agmen inter nocentes potentias claudat metus contagii tempore suscepitus notante CHOMEL l. c. p. 10. magnetis instar, per utriusque corticis corporis inhalantes poros ac canales epidemicum attrahens virus.

## §. 13.

Jam GALENUS epid. Lib. III. putrescentia singula peculiarem quandam differentię speciem fortiuntur, a communi putredinis causa effatur. Hæc veritas, si ullibi, sane febris malignæ, contagiosæ, pestifentialis HUXHAM Tom. VII. p. 326. & MARTEAU T. XI. p. 153. causa proxima pulcherrime corroboratur. Est vero illa repentina, post aliquot prægressa, sub invasione, symptomata, epidemica tonsillarum inflammatio, vel glandularum adjacentium mucosi generis, quam plus minus cita presso pede excipit, certe expectanda, necrosis ac destructio partis, adeo velociter itidem prospereps, ut nobiliora attingens loca inevitabili ægrum tradat neci, ni, artis ope, rapide correcta humorum massa, destructum a vivis protrudetur organis. Contagium non nisi a posteriori notum, & alios putres morbos

accendere capax juxta MARTEAU Tom. IV. l. c. quod minus hic per poros inhalantes corticis corporis , quam per vias aéreas , cibariasve evidenter fugi , primæque culine biliosæ putrilagini minus adæquate à DUPUX Tom. XVIII. p. 504. primario tribui videtur , characterem omnium putridorum miasmatum fideliter tuetur : scilicet in loco cum aëre quam maximum commercium alente , tenerimo rodendo phlogosin quidem , ast febre , inflammatoria multo mitiori , remittenti . intermitenti , imo vix observabili stipatam , excitat , durante qua sanguis missus raro illam decantatam crustam fingit , quæque , celerrime ingruente universali humorum solutione , in cœnosam , amurcosam aquulam fistitur , vel ad visum minuitur , prout energia contagii , & ægri dispositio constituta est , dum interim vix inflammata pars in Aphtham gangrænosam ruit , vel desquammatam , vel altius proferpentem , parte alias debili adhuc debiliori per tabum facta . Sed si queritur cur , cum tot putridarum symptomatis infantibus præcise hic deficientibus , his nec Debilitas , nec Apostitia , præcipui malignarum febrium characteres , ut plurimum sint solennes , responderem : hæc ætas principio mucoso crassamenti GAUBII Inst. Path. §. 278. ob diætam & laxiorem compagem , turgidior , ad catarrhos pronior , pre adultis alias succulentior , putredinis in gelatinoso & adiposo sanguinis principio nidulantis tardius experitur sequelas , tenellorum hinc nutritio lentius pessundatur & cibi desiderium in voracibus per se . Ipse gangrænae album colorem servantis genius , ob tardiorem humorum impetum & mucosos humores primario affectos , hanc multo mitiorem esse , quam putrefacti gelatinosi vel pinguedinosi succi nigrum Escharam , ex asse probat . Veritatem demonstrat succedens malo mors , qua suffocantur potius purulentis pulmonibus , quam necantur gangræna faucium topica , quale quid in Angina vera Iphacelo excepta atro tamen evidenter accedit . Sane mitissimam omnium crassamenti partium gangrænam esse suspicor , quæ mucoso innundatur principio , ( cum fibra sanguinis altius inhærere posse vix credibile ) ex eo hæriolor , quod ill. HALLER l. c. Tom. VI. p. 51. sq. muco vim tribuat salivæ & liquoris exhalantis oris putrefactionem morantem , in quibus jam ex natura putredinosi quid credas subesse . Mirum interim contagium muco imprægnatum adeo velocias edere effectus , ut teste HUXHAM l. c. Tom. VII. p. 246. & MARTEAU Tom. XI. p. 145. si in gente ingruit , omnes infantes inficiantur , nî separantur illico , & adultis circa ægros versantibus mox , halitu communicato , infensum , cum vicissim venereum , muco quoque eminenter agglutinatum , tardiori ambulet passu , nec nisi tractu temporis suas ludat tragœdias .

Symptomata putridæ febris, qualibet constitutione variabilis, pingere, cuius contagii vera natura nondum confecta, ardua res est. Sequentia tamen in hac tenus observatis eminent epidemiis. Malum alios rapide, alios non nisi gradatim prehendit, quo ultimo casu differentes periodos haud eadem percurrit velocitate, quinto, tertio jam die necans, imo spatio triginta sex horarum. Quidam adulti non mox decumbunt teste HUXHAM T. VII. p. 244. imo ne omnes correpti infantes CHOMEL auopta. Ut plurimum mane invadit juxta BROKES l. c. cum horrore TISSOT l. c. vel forti rigore HUXHAM T. VII. p. 243. mitiori tamen, quam in boni sanguinis inflammationibus, imo interdum frigore, ut intermittuum BROKES l. c. Quandoque per aliquot horas horror & calor pugnant notante TISSOT l. c. & HUXHAM T. VII. p. 243. Succedit his mox calor urens, siccus, mordax TISSOT l. c. malo ad gangrenosam tardius convergente destructionem. Cum pulsus frequens, durus, magnus inflammationum simplicium, frequens & mollis cacochymicarum putrum character sit, haud mirum, non nisi stadio inflammatorio protracto, pulsum durum, ast parvum notasse MARTEAU T. IV. p. 224. celeri vero putredine ut plurimum mollem, plenum (plethora rara per tabum prognata) eundem ib. vulgari Angina minus durum, fortem, celerem vero adeo interdum, ut centies vigesies uno minuto micarit arteria TISSOT l. c. in adultis pessime affectis celerem, parvum, tremulum HUXHAM T. VII. p. 244. Notavit eximius vir mox vehementem febrem in limine, vesperi enormiter exacerbatam ib. p. 245. in aliis febrem obscuram tractu temporis demum exacerbatam MARTEAU T. XI. p. 146. verbo anomalam valde remittentem TISSOT l. c. sudore matutino solutam, interdum vehementi BRONGET apud BROKES l. c. p. 418. ab ultimo tabi opinor gradu; brevi febrem, quæ nunquam morbi gradu proportionata affligit, debilius semper, quo majus periculum, ut præcipue infantes aliquot ante necem horas ludant MALOUIN l. c. p. 155. Clar. DUPUY, Anginam meam nobiliosa primæ & secundæ culinæ colluvie auctiorem factam pingens, febrem continuam vix aliquot horas remittentem, in compluribus vero quotidiana, tertianam, quartanam observavit l. c. p. 503. affusa putri mucosæ putredini bile. Nec tamen, ni muci tabus jam gelatinam nutritiam inficerit, & putrilago altius nervos fuerit lucrata, hic mira illa virium prostratio (pathognomonicon malignarum signum) totum semper comitatatur, malo mitiori, paroxysmum ac periodum, sed solum debilitas a paroxysmo matutina enormis notante TISSOT l. c. Veloci vero labi ægri in limine mox viribus fracti, ponderosi, impotentes sibi sunt visi teste HUXHAM T. VII. p. 244. MARTEAU T. XI. p. 147. & CHOMEL l. c. p. 8. inepta scilicet

scilicet ex diffluente mox in tabum cruento statim facta cerebri secrezione, docente quoque id Cephalalgia rodente hic frequenti, putribus corticis cerebri succis evidenter annumeranda, cum sinuum frontalium dolor DUPUY *l. c. p. 503.* a commercio horum cum felle conspurcata prima culina mihi derivandus videatur. A prava encephali secrezione & Vertiginem lypothymicam, omnibus observatam, deduco. Inquietudo, Delirium monodes, non conversans, noctu exasperatum HUXHAM *T. VII. p. 245.* sq. a turgidis praecipue hoc tempore, vel inflammatis acri cruento corticis cerebri tubulis nonne venit? ut, morbo ad summum culmen vecto, a collo vehementer tumerite, pressis jugularibus Coma vigil, Carus? Dolores spinæ, nucha obftipa ab HUXHAMO allata titillationis virus huc ad medullam eminenter lati sunt protecto sequelæ. Dixi §. 8. malum loquela, vel respirationis organa haud raro præ aliis affectare, qui mirum itaque in gutture raucedinem notasse MARTEAU *T. IV. p. 224.* vocem prohibitam, singularis soni eundem *ib.* HUXHAM *Tom. VII. p. 247.* in pulmonibus Anxiетatem, Asthma spasticum HUXHAM *p. 246.* MARTEAU *p. 224.* cum suspirii eundem *Tom. XI. p. 147.* veram Peripneumoniam HUXHAM *p. 248.* Singultum ASTRUC *l. c. p. 121.* Inde Catarrhus MARTEAU *Tom. XI. p. 148.* & ab exfoliatione membranæ laryngis mucosæ, velique palatini violenta Tussis TISSOT *l. c.* ASTRUC *l. c. p. 110.* MALOUIN *l. c.* & STARR *l. c.* qui ultimus totum palatum mobile & membranam dictam expectoratam pingit, uti pridem in tussiculofo alio morbo TULPIUS *Obs. Med. Lib. IV. Cap. IX.* Odor cadaverofus denique ægrotantium ab HUXHAM *l. c.* & CHOMEL *p. 7. 10.* allegatus ex ulceribus narium pariter ac faucium halat.

## §. 15.

Hactenus vitalia symptomata. Cum his organa sensuum affectat simul sentina: oculi torvi, rubri, lacrantes cernuntur HUXHAM *T. VII. p. 244.* & MARTEAU *T. IV. p. 224.* inflati, ut in Morbillis TISSOT *l. c.* ob tumorem, ruborem erysipelatoden faciei, colli, pectoris, manuum inflammatorium, gangrenosum jugulares & vertebrales venas comprimentem; quale quid, aliorum facie pallida, lurida, macilenta minus fuit notatum ab HUXHAM *T. VII. p. 245.* & MARTEAU *T. IV. p. 224.* *T. XI. p. 147.* nulla fere prægressa phlogosi repente exesis gangrena mucosis glandulis. Otalgia CHOMEL *p. 15.* effectus tubæ Eustachianæ gangrena siderata mihi videtur. Gustus organon quod attinet, lingua, pro vario studio & luis gradu, variabilis. Sub phlogosi arida vîsa est a TISSOT *l. c.* tumidula a MARTEAU *T. IV. p. 224.* ad radicem maxime. Sub veloci consumtione humida, non conspurcata aliquibus, pelle alba tecta vîsa est

HUXHAM

HUXHAM T. VII. p. 246. a serpente tonsillarum Eschara puto derivanda. In conclamatis enormiter quoque tumida cernitur, amygdalis, gurgulione tumorem rubro violaceum prodentibus, Eschara alba, verius nares, pharyngem, vel laryngem fusa, velociter dein tectis, quæ in lardo nigrescenti pessimi sphaceli mucosi phœnomenon. Gustus organa inficiens faburra flava DUPUY L. c. bilioso morbo complicato tribuenda videtur. Sub secundo stadio simul communicata tument phlogosi parotides, submaxillares, dolentissimæ factæ teste TISSOT L. c. MARTEAU T. IV. p. 223. & STARR L. c. p. 471. fuso dein sub tertio stadio cruore, in veram erumpentes salivationem notatam a MARTEAU T. XI. p. 148. symptoma alias putridis exanthematicis morbis sollemne. Infantibus præcipue Olfactus theca affligitur. Siccæ nares, mox ex rubro cœrulescentes, elapsis aliquot diebus tenui, vel spissa rodente, alba, putri materie factæ, ichorem ipsas, ac labia, genas, imo nutricum cutim excoriante pluunt autecta MARTEAU T. IV. p. 224. graveolentem, crebras sternutationes carent HUXHAM T. VII. p. 247. adultis rarum, sub Coryza schemate, symptoma, ut minus vulgo mucosis, vid. MARTEAU T. XI. p. 148. Ab initio saepe narium, orisve hæmorrhagia, & apud virgines improvisa menstrua, quibusdam prima erumpunt vice, interdum mire debilitantia cum mali augmento. Hæcce narium fistillicidia, &c. neque viribus vita, nec polyaimiæ, sed per diabrosin utplurimum, raro anastomosin, aufugienti debentur aculeatæ, rafæctæ, solutæ tabo sanguinis variis in narium, oris, uterine cryptis purpuræ. Priora interdum repente necant, sed nunquam primis mox diebus, a lœsione opinor arteriæ erosæ, aut Eschara decidua, aut fuso in tenuem aquulam summe penetrabilis cruore. Ita in omnibus fere putridis. Tremor membrorum, quem MARTEAU Tom. XI. p. 147. adducit, minor convulsionis gradus, tabi ad nervos spinales lati, vellicantis, ast vires viæ dejectas nimis pro fingendis veris convulsionibus invenientis, videtur mihi effectus. Proclivitas denique ad somnum ejusd. Tom. IV. p. 224. durante nocturna exacerbatione interruptum, ibi pressorum leniter cerebri medullæ, collive vasorum, hic circuli ad caput intensioris facti merito reputatur sequela.

## §. 16.

Curiosum est inter naturalia denique phœnomena, cum labiis, buccâ inflammatis, ex rubro cœruleis, intus vesiculis parvis plenis, tenui ichore genas excoriante scendentibus, uti refert TISSOT L. c. Sitim, secundum omnes, mitiorem hic in limine observari, quam in reliquis putridis: a minore siccitate puto partium, & affecta non primario Sitis fede, licet

C

quarto,

quarto, vel quinto die sputa mucosa, foetida, purulenta, sanguinolenta,  
 livida accedant, gangrænæ mucosæ proles. Haud in omnibus constitui-  
 tionibus æque affligitur deglutitio. In aliis dolor faucium urget juxta  
 TISSOT & HUXHAM, ac summa deglutiendi difficultas DUPUY l. c. imo  
 interdum impossibilitas, præsertim & uvula cum reliquo palati velo  
 post tonsillas prehensa, tumidula, prolongata, totaque vicinia ex rubro  
 livida instar luxuriantis carnis in ulcere gangræno, succedente mox  
 Eschara alba, unde simul potus per nares regurgitatio, vox rauca, na-  
 futa. Urget cum his, majori mali gradu, tumor coll' oedematosus, ad  
 pectus descendens, ægrum fere suffocans, deglutitionem ab extus mo-  
 rans, cacochymicæ inflammationis individuus alias comes. Mirum vicif-  
 sim, præcipue in infantibus, credo ob pituitæ abundantiam, bonam  
 semper notasse deglutitionem CHOMEL p. 14. minus molestan, quam in  
 Angina vera TISSOT l. c. & HUXHAM Tom. VII. p. 248. Sed & his ton-  
 fillæ, gurgulio, palatus parum tumentes, ac coccinea inflammatione tur-  
 gidæ autopta TISSOT, maculis albis variaæ figuræ circulo rubro variegatae  
 fuere, quas crustæ ichorosæ, interdum plane nulla, bona re, exceptit sup-  
 puratio notante MARTEAU T. XI. p. 147. His minor dolor, potius sen-  
 sus caloris, cruditatis, plenitudinis in collo, referente TISSOT l. c. HUX-  
 HAM Tom. VII. p. 245. ac MARTEAU Tom. IV. p. 224. Unde ratiocinor,  
 cum genius mali non nisi mucosos præcise inficiat foliculos, his minus  
 affectis, pharyngeorum gelatinosis & adiposis immunibus muscularum suc-  
 cis, non potest non minus pessundari ingéstorum descensus. Venter &  
 stomachus ut plurimum mollis est, hinc Vomitus accedens, pro natura  
 & studio mali, variam sortitur originem. MARTEAU Tom. XI. p. 146.  
 in limine mali improvsum absque Cardialgia notat, ab irritatione fau-  
 cium per tabo tactam amygdalam, gurgulionenive forsan provenientem.  
 Ille HUXHAM Tom. VII. p. 244. conatus vomendi, & Cardialgia, sub in-  
 vasione, primæ culinar putredini videtur adnumerandus, Vermibus cor-  
 ruptis, qui sepe simul ejiciuntur, ad summum fastigium late. DUPUY  
 Tom. XVIII. p. 503. Anginam nostram biliosæ colluvie maritatem describit,  
 Vomitus fonti, unde juscila detrectant, appetuntque non nisi acidula ægri.  
 Morbus cum Diarrhoea infantes prehendit, in adultis contra, teste HUX-  
 HAM Tom. VII. p. 244. Hæc si ab initio cessat, raro alvus copiosa. Mul-  
 ta interim materia biliosa sine tormentibus everritur bono cum augurio;  
 dum pessima est, quæ apud tenellos excoriationes intestinalium, dolores  
 colicos a deglutitione ichoris e naribus stillantis, vel prosperte ad pri-  
 mas vias malo, comitatut saniosa Dysenteria, annuente ill. BRITANNO  
 l. c. Vermium intestinalium a DUPUY l. c. p. 503. sq. recensita hic cater-  
 va ad essentiam mali minus pertinere mihi videtur, potius tabum tabo  
 addens, quam gutturi malum, ut fons, provocans. Et corporis cortex  
 hic

hic a reliquis putridis febribus deflectit. Cutis calida, sicca, rigida, ad lenem sudorem non nisi proclivis pingitur ab HUXHAM T. VII. p. 246. Infantes ac adulti Exanthemata Morbillis similia, ast pallida, minus levata, a primo ad sextum diem, a facie, pectore ulterius procedentia, secundo aut tertio ab efflorescentia die desquamata, malo mitiori, & quidem non semper experti fuere, evanida ab eruptione Nausea, Vomitu, Diarrhoea. Quibusdam impetus ferocior vera miliaria alba, vel rubra protritus, quarto, sexto die judicata simili cum effectu obseruante TISSOT l. c. Vulgo Anginam pessimam Exanthemata (dabrofi nata) praecessere, in quibusdam comitata fuerunt interdum erysipelacea, scarlatina, pustulosa, frequentissime cramosini coloris ac proprii characteris. In aliis nullæ papulae, solus pruritus, desquamatio vexavit teste HUXHAM T. VII. p. 249. & MARTEAU T. XI. p. 149. Summum luis culmen produnt Vesiculæ rodentes pudendorum, natum, Petechiae, cutis Escharæ gangrenosæ Scabiem mentientes humidissimam, qualia adducit STARR l. c. Interim, mitiori epidemia, plerosque adulorum sine Efflorescentiis, spontaneis, vel arte productis sudoribus judicatos, ab initio nocivis, debilitantibus, quosdam lysi curatos, Asthmate & inquietudine antea mire vexatos, pulsuve celeri debili expertus est TISSOT l. c.

## §. 17.

Clinicum in febre putri, contagiosa, quæ organa vitalibus adeo propingua, velocissime serpente destruit gangrenosa labe, & in mitiori constitutione fausta quævis ulli praefagire velle absconum foret. Terrent præprimis epidemiac plures simul invadentes. Ita quintam incolarum partem prehendit lues DUPUX T. XVIII. p. 501. Ita in aliquibus, circa Lausanam, pagis, turba tumore noltro colli enormi periit, in ipsa urbe virgo non nisi sudoriferis & vino rubro (sub secundo opinor stadio) tractata, quarto die post largas narium Hæmorrhagias sufficiata; puella decem mensium, cui Exanthemata suppressa pectus petebant; juvenis octodecim annorum, in limine exacerbatus, mox levatus, sudoribus negligitis, ad pulmones rejectis, siccissima cum epidermide trucidatus recensente TISSOT l. c. Ferocissimam omnium epidemiam STARR l. c. p. 467. sq. delineat, veram constitutionem nuncupandam pestilentialem infantum Anglicam. Præterea genius inflammationis localis, nunquam ad resolutionem, fere semper ad suppurationem gangrenoso ichorosam, sinus fodientem MARTEAU Tom. XI. p. 148. 152. raro ad Scirrum RAULLIN l. c. tendens pessima spondet. Similis augurii sunt evacuationes debilitantes adeo frequentes hic, conf. BROKES l. c. p. 400. rariores multo, imo nullæ perfectæ

fectæ crises, uti RAULLIN contigit observare *l. c.* narium hæmorrhagia fusum tabo cruentum fistens; Diarrœa ichorosa primas vias excoriatis; Vomitus inflammati ichore ventriculi; Vermium cohortes cacochyliam augentes RAULLIN, DUPUY, *éva rø u. d. s. aufugientes MARTEAU Tom. IV. p. 226. Tom. XI. p. 151.* necis gangrænoſe in prima culina fidi nuntiis; Exanthemata denique symptomatica, aliis pessimis malignis solemnia RAULLIN *Tom. IV.* HUXHAM *Tom. VII.* MARTEAU *Tom. XI. p. 151.* & maxime STARR *l. c.* Valde reformidatur febris, cum pulsu parvo, molli, depresso, formicante, mitior RAULLIN *Tom. IV. p. 237.* imo nulla facta MARTEAU *T. IV. p. 226.* Symptomata recensita apud infantes plus minus pro mente seſe manifestant, prout causa putrida validior tenerius corripit corpusculum. In moribundis incrementum & status confunduntur, ast in hoc ultimo ſemper pereunt. Febris ultra quadragesimum quintum diem protensa adhuc jugulans viſa est CHOMEL *p. 40.* In anticipi valde bivio locati mihi videntur preprimis illi, quibus nares, fauces, pulmones, prime viæ, &c. a quaunque prægressa cauſa debiliores solito, fomitem, magnetiſtis instar, attrahunt. Inde nimius affluxus ad colli glandulas citifime suffocans viſus BROKES *l. c. p. 401.* & earum expansio nimis cita funesta viſa RAULLIN *l. c.* tristes quoque ad cerebrum & bronchia metaſtaſes HUXHAM *Tom. VII. p. 251.* Agonis prodromi tunc sunt narium ſtillæ, odor cadaverofus, fauicium ſibilis, pulsus parvus, frequens, concentratus, irregularis, vid. MARTEAU *Tom. IV. p. 227.* Coma, Peripneumonia, pulmonum Vomica rupta HUXHAM *Tom. VII. p. 251.* gangrænola Dysenteria pronuntiante jam Coo: ab hæmorrhagia nigrorum dejectio malum. Taceo denique ſinistram, quam morborum deuteropathicorum farrago §. 9. ac recidivæ, quibus protopathicum malum juxta BROKES *p. 412.* valde expositum est, ſtabiliunt, prognofin. Interim tamen funelatum præſagium juniores maxime ſpectat, ſenibus parcente epidemia, nec niſi notabilis fauicium gangrænescens, finusque fodiens pars metu percellit. Uvula totam, poſt Anginam veram, gangrena conſumtam non lethalem notat pariter ill. VAN SWIETEN *Commu. Tom. II. p. 698.* Infantes ſpei propiores ſeptimo die judicandi ſub crustis diminutis, deciduis, albicantibus nullas novas, aut faltem superficiales, minus largas, ſpiffas, pulchre rubente ſubstrata carne, nanciſcuntur. Odor cadaverofus, deglutiendo difficultas ſenſim cum febre decreſcunt, qualibet licet vespere adhuc re-crudeſcente. Si uetus membranam pituitariam erofit, ſuppuraſcit, ac emunctoria muco, ſanguine, & coctiori turgent pure. Ægri tunc cibum capiunt. Uvula diu adhuc flaccida manet. Debilitas tardissime cefat. Dulci quoque demulcent ſpe Exanthemata cum euphoria, ſudore, & defquamatione terminata HUXHAM *T. VII. p. 250.* dulcissima omnium relatae §. 9. crises.

Non potest non pessimus morbus, pro variis constitutionibus, ac  
estate adeo varians, quoad medelam, miris esse obnoxius tricis. Clinicis  
interim per fida observata & hic adeo splendida affulxit haec tenus lux, ut  
morbum ex asse putrem, juxta genium harum febrium, in triplici intuean-  
tur periodi stadio: invasionis nimirum, inflammationis, & resolutionis,  
in unoquoque indicationum therapeutarum, vitalis, causalis, & denique  
curatoriae memores, & id quidem pro vario huius vehementi gradu, quo  
citus, aut tardius correpti vix in tabum diffundit massa sanguinea ægro-  
tantis. Sic pulcherrime comparantur TISSOT & CHOMEL leviores iues  
cum dirissimis HUXHAM & STARR pestibus, inter quas medium tenuere  
§. 3. citatæ recentium Gallorum epidemiæ, præcipue, si simul fomes, qua  
via primordia cooperit, altius investigetur. Ita CHOMEL *I. c. p. 72. sg.*  
curam infantum ad amissum delineasse mihi videtur, dum tres præcipuas  
format indicationes, nimirum progressum putredinis prohibere; formatam  
destruere Escharam; & viribus vita prospicere. Ast, cum progressum ta-  
bi refrænare venæ sectione & emeticō doceat, valde miror eum tria stadia  
minus adæquate distinxisse, quæ hunc morbum sub triplici schemate si-  
stunt, quorum cuiuslibet utrumque hoc remedium non æqualiter arridet.  
Sic Ipecacuanham, Tartarum stibiatum, præprimis Oxymel squilliticum,  
fuidente DE SAUVAGES *I. c. Tom. II. P. I. p. 490.* circa invasionem ma-  
lo verhus nares verso; cruditatibus vero obseffis aut serum lactis acidulum  
purgans tamarindinato-tartarifatum cum Manna, vel clyisma laxans cum  
ASTRUC *I. c. p. 106.* malo ad primas vias descendente, porrigerem; in-  
flammationis stadio venam tunderem & quidem non nisi ultima necessita-  
te, debitisque cum cautelis; resolutionis vero sub indiciis penitus ab utro-  
que abstinerem, utpote cui stadio cardiaca optime quadrant simul tabum  
corrigentia, ut Peruvianus cortex, quem omisisse doleo. Cum morbus  
quoque acutissima terreat putredine, ipsius jusculis pullorum, & vituli-  
nis, acidulis herbis licet maritatis, serum lactis cum succo citri merito  
præponerem, nec de negatis gratioribus acidorum fructuum mucaginibus, vi-  
ctum animalem penitus proscribens. Penetrantissima, siquidem hic curan-  
da venit, ad ipsum principium mucoſum crassamenti sanguinis GAUBII  
*Inst. Path. §. 278.* pertingens, putredo, quod, ex victu potissimum ve-  
getabili residuum, longe tardius, quam gelatinofæ adiposæ humorum  
partes, putredinofam labem fuscipere ex sua natura debet. Recte CHO-  
MEL, formatam Aphtham refrænaturus, cum COO, GALENO, & ARE-  
TEO, cucurbitas fuidet, & vesicantia ac rubefacientia ab Italisch dudum ac  
Hispanis §. 3. pone aures posita, videatur TAMAYQ *de morbo Garozillo*  
*Cap. III. ALAYMUS I. c. Cap. XIV. & eos sequens ill. DE SAUVAGES I. c.*

Tom. II. P. I. p. 491. imo cauteria ad brachia juxta ALAYMUM l. c. & se-  
 tacea nuchæ. SEVERINUS l. c. fortia hic suadet sudorifera , quæ & re-  
 ceus induitria in spiritu Mindereri, Oxymelle simpl. vel præparatis ex Con-  
 trayerva , Croco, Myrrha , vel Sale Abfynth. C. C. Citri succo saturatis DE  
 SAUVAGES l. c. ad summum evexit culmen, remediis Bezoardico min. &  
 animali CHOMEL p. 83. multis parasangis præferendis. WEDELIUS l. c.  
 Serpentarium Virg. Camphoramve inter farraginem remediorum optima ha-  
 bet, etiam a vetricantibus & sinapisinis haud alienus. Nec ASTRUC l. c.  
 Lohoch album Cod. Paris. cum Tinctura Myrræ & Spiritu vini Camph.  
 est repudiandum bechicum , urgente Tuffi , Syrupo Diacodii nuptum.  
 Acu quoque rem mihi tetigisse videtur CHOMEL dum Camphora viribus  
 vita prospicere jubet p. 86. sq. ut cum Aceto Camph. de SAUVAGES l. c.  
 Utinam vero hic ill. hunc machaonem, HUXHAMUM, &c. secutus fo-  
 ret Corticem Peruanum simul & tenellis propinans , ( quibus ingratam  
 medelam horrentibus clysmatibus chinatis consulere docuit ALLEN Synops.  
 Med. Praet. p. 14 ) aut sudoribus foetidis succo Citri, acidis miner. vino  
 additis prospiciens. Topica quod spectat, merito p. 90. gargarismata ex  
 spiritu Camphor. aqua destill. fracto illis mineralibus acidis armatis præfert, ut  
 & gratas ex succis Mori, Ribium, Aurantiorum, Citri miscelas. Nec ta-  
 men cum CHOMEL militarem oleum Amygd. Camphoratum propinante,  
 cui mel Camphoratum totus quantus præferrem, relaxationem nimiam re-  
 formidans, ut in Camphora ovo soluta putrilaginem p. 92. Laudo interim  
 cataplasma Sinapi aculeata, collo apponenda ib. Crudeli SEVERINO l.c.p. 543.  
 scarificationes, imo cauteria actualia ad locum affectum proponenti graphicce  
 respondit ill. VAN SWIETEN l. c. Tom. I. p. 697. de Gangraena. Tom. II. p. 187.  
 & dudum AETIUS l. c. Lib. II. Serm. IV. Cap. 46. Cæteroquin Corticem  
 intus datum optime Escharam per vires vitae auctas separatarum omnis  
 clamitabit hic clinicorum sapientium corona ; excisionem affectarum par-  
 tium cum ill. MORANDO repudiabit Mem. de l' Acad. de Sciences 1746. p.  
 157. A morbo lac asinæ per septimanas propinare, ut prorsus eluatatur san-  
 guini communicatus durante morbo mucosus ichor, nec Hecticam deute-  
 ropathicam relinquit, ill. ASTRUC l. c. p. 112. & BROKES l. c. p. 406.  
 sagitatis denuo indicium est.

## §. 19.

Nec inter eos , qui luem qualicunque ætati inferias curandi dogma-  
 ta relinquere , cum FOTHERGILL princeps , hoc fusior HUXHAM Tom.  
 VII. p. 321. stadia exacte definit , in eo cum omnibus laudatis §. 3. con-  
 spirans, sed, formata mox triplici indicatione §. 18. progressum tabi pro-  
 hibitus, ad usum enematum , sub invasione, e Lacte, Saccharo, & Sale  
 comm.

comm. conflatorum, ventre præcluso, convolat; aut Rheo, pejori caco-chylia, purgat, semper tamen a fortioribus evacuantibus, compagem elementarem infirmantibus, abstiens; Vomitum & Diarrhoeam urgentes Decocti Fracast. Rhei tosti, Decoctive albi Pharm. Lond. levi dosi compescit, ut BROKES l. c. Vino Croceo p. 402. Nauseam & Vomitum in limine emetico ex Ipecac. Oxym. squill. instar TISSOTI l. c. BROKES l. c. p. 401. præcipue in adultis sovet cum euphoria, ita semper cardiaca eva-cuantibus & antiseptica nubens. Methodus hæc viribus parcens utique præferenda mihi videtur illi WALL, qui Vitriolo albo in infuso C. B. vo-mitum ciet, conf. BROKES l. c. p. 410. ei MARTEAU Tom. XI. p. 156. qui in limine Tartaro stibiato stomachum exhaustit; illique DEBERGE Tom. XII. p. 161. qui venæ sectionibus qualibet tertia hora institutis & apud infantes, potionibus nitrofis, antiphlogisticis meritis in limine datis Tarta-rum subjugnit emeticum, morbum, ut inflammatorium boni cruentis maxime curans, stadio phlogoseos pertinaciore & longiori in lue sua, quam illa Anglorum, ubi resolutio preffo fere invasionem excipit pede, inflam-matione vix notatu digna interpolata. Nec DUPUY Tom. XVIII. p. 500. a partibus sto, qui in biliosa continua putri cum Angina nostra combina-ta Tartaro stibiato vehementer mox uititur, subjuncto licet & Sale Epson. aliis-que minorativis. Entia profecto præter necessitatem multiplicat VANDERMON-DE Journ. de Med. Tom. XII. p. 166. dum ambas epidemias dispescit, Britannicam febrem gangrenosam, Gallicam febrem inflammatoriam in Gangrenam dege-nerantem salutans, cum, excepta stadiorum diversa prolongatione, nil essentiali-ter discrepantis præ se ferant. Nec DUPUY l. c. luem pro peculiari specie morbi venditarem, quoniam fomes ex biliosa putrilagine primario descendebat, cum in vulgari nostra aëris intemperies eminenter veniat accusanda, utrique siquidem radicitus eadem respondet therapia. Progressus tabi revellitur a parte affecta sapienter vesicantibus ad venas jugulares per MARTEAU Tom. XI. p. 156. quorum suppurationem digestivis, Tinctoria Myrræ, Aloës, & Styrace liquida animatis, jamjam in hoc Itadio promovet. Cæterum minime hic omittendum reor illo præcise tempore, quo Angina gangrenosa plures simul invadere coepit, & Dysenteriam malignam epidemicam observasse BOUCHER Tom. XVII. p. 328. Idem quoque ib. p. 327. sq. p. 396. sq. p. 504. sq. Gangræna epidemicæ sicca extremitatum, metastaseos febris continuæ putridæ utplurimum, memor est, quæ iisdem sub stadiis, ac morbus noster, eademve cura fuit insignis, & in qua nulla amputatio lo-cum habuit, nisi linea sponte circularis orta sanum ab ægro distinxerit. Simile malum in Mem. de l'Acad. de Sciences 1710. Hist. p. 61. jam allatum cerno. Cum lue mea Anginas veras, Exanthemata maligna, Pleu-ritides epidemicas, intermittentes quoque, vel continuas putridas vermi-nosas strages simul edidisse dolet RAULLIN l. c.

Emuncta sat sub stadio §. 19. prima culina, & sub stadio inflammationis, progressum putredinis porro prohibiturus HUXHAM (probe membrum phlogosēs in reliquis malignis morbis ita tractandas) ad sudorifera adæquata, cardiacis maritata, secundæ culinæ inflammans virus per diaphoresin prorsus expellentia sese accingit. Ex hoc fine miscelam ex Sale Absynth. Sale volat. C. C. cum fucco Limonum, & parum Rad. Contrayervae, Myrrhæ, Crocive, vel Julepum Camphoratum, vel Acetum Camphoratum cum Syrupo Rubi Idei, Ribium, addito, febre forti, parco Nitro, Camphorave commendat. Sub hoc stadio MARTEAU Tom. IV. p. 225. Nitrum, Camphoramve quoque proponit. Et Nitrum, sed sub continua bilioso anginosa, purum cum fructu dedit DUPUY l.c. Ait DEBERGE l.c. p. 163. 165. methodum mere antiphlogistica multa nex & in limine strages exceptit. Egregius TISSOT l.c. absque sudoribus & efflorescentiis a dolore levatis, superflite tamen inquieto Åsthmate, sudoriferis malum levat ex flor. Tilix, Sambuci non nisi dato largo theiformi infuso. Subdolæ huic inflammationi vero resolvendæ apprime quadrat decantatus ille Mindereri Spiritus, in cuius tamen præparatione acetum prædominare omnino oportet. Sic confectus optime omnium urenti febrium putrum opponitur fervori, vid. WALL apud BROKES l.c. p. 412. Non possum non hic tangere HUXHAM Tom. VII. p. 327. circa crebram exhibitionem alcalium volatilium purorum legitimum timorem, qui cana praxi edocitus monet in morbo, ubi crux tandem in aceritum, putrem solvitur tabum, omnia pharmaca, quæ, massam humorum solvendo, acrem simul reddunt, merito exuale dehere, licet sanguinem missum a putro preßervent, ne febres ardentes, ac hemorrhagiae per diabroſin superveniant, ac fibrarum, vaſorumque succumbat vis vitae. Bene conscius HUXHAM sibi in hoc stadio cum inflammatione putris sanguinis rem esse, quæ vires frangentes venæ ſectiones nequaquam, ut blandi sanguinis permittit phlogofis, afferit aliquos ægros quidem fuſſe, qui, vena mox tuſa, non male ſeſe habuerunt, imo, qui antiphlogistica egebant methodo, ait ſimul ſubjungit, ſi in ulla putri febre, ſane in tali mucoſa loca infenſante in genere paulo calidiora reliquias palmam præripere p. 327. Ita quoque BOUCHER l.c. Tom. VIII. p. 557. Non possum idcirco in ſententias plurium Gallorum descendere, qui repetitis sat fortibus venæ ſectionibus hic vires enervant, cum ſola inflammatione, putrilaginis non niſi ſequela, dimicantes, fonti vero mali, tabo ipſi viam ſternunt ad ſui propagationem. Eminent inter eos MARTEAU l.c. T. IV. p. 225. DEBERGE T. XII. p. 163. BRONGET l.c. p. 418. Verum enimvero FOTHERGILL apud BROKES l.c. p. 399. repetitas venæ ſectiones nocivas ſemper expertus est, imo sphacelum accelerantes, mitiſſimo

fimo morbo in pessimum verso, eadem circa mera temperantia & conti-  
nuata mitissima laxantia notans; WALL ib. p. 408. omnes debilitantes  
evacuationes, venæ sectiones, purgantia, nitroſa mera expungit, a laxan-  
tibus præcise abhorrens, si jam in secundis viis, uti hic, morbi fomes;  
Helvetorum decus TISSOT l. c. venæ sectiones & antiphlogistica mera ma-  
lum protrahere docet, ast, inflammatione vehementer urgente, hanc non  
repudiat medelam. Adæquatus RAULLIN l. c. p. 237. pulsu pleno, cele-  
ri, tenso, cum calore violento, sanguine denſo, inflammatorio venæ fe-  
ctiones reiteratas (ut climati blandiatur, præ Brittannico, ad phlogofes  
magis disponenti) adornat, athmosphæra vero calido humida, pulsu par-  
vo, molli, formicante, depresso a tundenda abstinentia vena, præcipue  
ſi tenuis, cœruleſcens pellis gelatinæ molli viridescenti inhæret, crux  
livido, raro, molli, ſero turbulentio, flavo, rubro, vel viridi, vel tota  
massa florida, diluta, divisa, mora vix ſerum expuente, resolutionis factæ  
pathognomonic signo, quod statim a prima venæ ſectione ut plurimum  
obſervatur, pulsu tum illico parvo facto, viribusque proſterni ordientibus.  
Sententiam hanc a RAULLIN l.c. taxatus adoptat MARTEAU Tom. XI. p. 154.  
Sub Diarrhoea & Exanthematum eruptione repetitam respuens venæ ſectio-  
nem, indicantibus dictis præſentibus, illam adornat expertus DUPUY Tom.  
XVIII. p. 501. Alia res est cum febre rubra exanthematica, idiopathicā  
BOUCHER Tom. VIII. p. 557. cui valida fauſcum nubitur abſque tumore  
evidenti inflammatio prodromique gangræna, & cui profecto venæ ſectione & an-  
tiphlogistica melius quadrat methodus. Alia quoque facies in DUPUY l. c.  
p. 505. Angina cum bilioſa putri conjuncta, cui utique venæ ſectiones  
magis arrident coniunctæ cum febre Causo bilioſo ſimili, Cephalalgia coronal;  
Delirio ſtomachico, carotidibus tumentibus, linqua bilioſa, primaque culi-  
na inflata. Dandum interim aliquid ſemper climati & diſcrepanti epidemia eſt,  
ne ex tripode, ſub nova conſtitutione, pronuntiet agenda hic sapiens clinicus.

## §. 21.

Formata ſub ſtadio ſecundo Eschara HUXHAM ſcopo ſecundo §. 18.  
crebram oris fauicumque expurgationem valdopere commendat. Hoc fine  
gargarismata ex Ficubus, Rofis rubris, Myrrha, Melle, Vino pomato in-  
coctis, addita Sem. Cydon, mucagine, Syr. Rub. idæi, Tinct. Myrrhæ, &  
tantillo Spiritus Vitrioli magni habet, digerens, roborans, & ſimil anti-  
ſepticum remedium. Eodem ſcopo vapores Aceti cum Flor. Ros. rubr.  
Chamom. Myrrha & Camphora digesti per os crebro inhalari quoque jubet,  
que remedia a RAULLIN traité des maladies occaf. par les promes & freq.  
variat. de pair p. 261. primum deſcripto, a MARTEAU deinceps Tom. XI. p. 161.  
BOUCHER Tom. VIII. p. 557. DEBERGE Tom. XII. p. 161. DUPUY Tom.

D

XVIII.

XVIII. p. 505. ad sidera elato ex Sacch. Saturni, Aq. Ros. Plantag. topico, ob venenatam, vehementer adstringentem, ac ad Scirrhos follicularum disponentem illius vim, multis parasangis preferrem; MARTEAU tamen ex Syr. Limon. & Oleo Amygd. Camphorato, Spiritu Vini Camph. Ess. Myrrhæ, Chinæ hand repudians gargarisma, nec applicationem parci Spiritus Salis Melli Ros. & Bals. Persico maritati per penicillum factam. Gargarisma DUPUY ex aqua hordei mellita, Spiritu Sulphuris, vel Ess. Rabelii, Camphora acuata pulchrum quoque antisepticum est; nec non Spiritus Vini Camph. cum Terræ Catechu ptsana BRONGET l. c. p. 418. ut & illud ex Contrayerva, Aceto, Tinctura Myrrhæ, Melle FOTHERGILL l. c. p. 406. ac vapor Aceti, Myrrhæ, Mellis, Spiritusque Mind. WALL l. c. p. 409. In genere vapores prægargarismatisbus penetrantiores, magis antiseptici auctoribus sunt visi. Sacrificationem Eschara, ut nimis crudelem & certiori neci vindicantem, merito expludit MARTEAU Tom. XI. p. 159. nefcio tamen cur Tartarum Stibiatum ad separationem violentiam illius suadeat ib. Tumor colli & parotidum, symptoma urgens, suffocationem minitans, nihilominus, ut criticum, per epispastica & vesicantia foras ab HUXHAM cietur exoptatissimo cum eventu. Cum eo collimat MARTEAU Tom. IV. p. 225. scarifatæ nuchæ vesicatorium apponens; DUPUY l. c. p. 507. vesicantibus hic utens; TISSOT l. c. & BRONGET l. c. p. 418. Linguae ariditas limonada minerali compescenda est juxta MARTEAU Tom. XI. p. 160.

## §. 22.

Sub stadio denique resolutionis ill. HUXHAM, progressum tabi efficacius moraturus & analeptico fine, ab initio §. 20. laudatis pharmacis Tincturam Corticis Chinæ nubit, Cortici in substantia illam præferens, unde cum decocto hordci calido eruptionem Exanthematum mitem, æqualem, criticam utplurimum est expertus, aut saltem sudores criticos, lotiumque coctum sedimentum ex gryseo album dejiciens. Pulcherum effectum ipsi Elixir Vitrioli cum Tinctura Chinæ edidit sudoriferum, haustum in julapio ex aqua, vino rubro, & Aurantiorum fucco. Num Britannorum nectar Pounch, quod gratissima ætherea Aurantiæ Citrive olea, hujusve acidum Spiritus Oryzæ leviori, infusi Fruticis Thé amplæ dosi nupta sifit, scopo cardiaco æque ac sudorifero imo antiseptico, hic aliquid valere possit? nasutioribus dirimendum relinqu. Corticem Chinæ quoque, Myrrham, acidave laudat merito RAULLIN Tom. IV. p. 239. antiseptico ac cardiaco fine. Pulsu molli, depresso, debili decoctum vel Syrupum antisepticum ex Cort. Chinæ, Rad. Contray. flor. Camom. Melle extollit MARTEAU T. XI. p. 162. Infusum Menthae aquosum cum parco vino rubello, Contray.

tray. Aqua alexithæria, &c. FOTHERGILL *l. c.* p. 402. solam Chinam WALL *l. c.* p. 408. aut Spiritum Mind. Confectioni cardiacæ, Myrræ nuptum *id. ib.* p. 410. suadent. Corticis usus in substantia reliquis palmam præripiens deprehenditur, ægre tamen digerentibus lene decoctum vel extractum aquosum ejus melius convenit docente *eodem ib.* p. 411. Clar. BOUCHER *Tom. XVII.* p. 412. *q.* in gangræna epidemica membrorum hoc tertio stadio pariter usum Corticis demum extollit: ex præmaturo usu ejus in intermittenti maligna sphacelus siquidem pedis *id. ib.* p. 415. Obstupesco legens MARTEAU *Tom. IV.* foetidissimo sanguinis soluti ac diabroſi per narēs ausfugientis ſtillicidio ſemper adhuc venæ ſectiones oppoſuiffe, quem graphicē refutat consultus RAULLIN *l. c.* p. 238. 240. qui venæ ſectionem abſolute in hoc ſtadio proscriptam vult, in quo narrante FOTHERGILL *l. c.* p. 403. TISSOTO, DUPUY *l. c.* p. 503. mira regnat virium prostratio, cui infusa Menthae, Melißæ, Salvie aquosa, cum vino, &c. melius blandiuntur ac veſicantia juxta FOTHERGILL *l. c.* & forſan anodynus Hoffm. liquor. Rechte tumori colli & fauicium ſuffocanti veſicantia infra clavicularis & cum fructu opponit MARTEAU *T. IV.* p. 227. Tuſſi ſympotomaticæ TISSOT *l. c.* Kermes min. MARTEAU *T. XI.* p. 159. vero Lohoch ex Syr. Altheæ, Oleo Amygd. Aq. Cinam. Camphora objicit. Exanthemata rubra Cortice, Spiritu Mind. & Contrayerva fovet ac expellit WALL *l. c.* p. 410. Flatulentiae intell. cum Ichuria HUXHAM fomenta ex emollientibus & carminativis e. g. flor. Chamom. aquæ & laeti coctis, enemata ex Lacte, Sale comm. Saccharo opponit exoptatissimo cum ſuccesſu, hisque irritis, laxans ex Rheo, Manna, ſubjuncto lenitivo, ſedulo tamen ab omni purgante, signis coctionis præſentibus & cute defquamari incipiente, abſtinet, utiſt potius refinoſo Chinæ extracto, quod præ gummoſo ventriculum aptius transgredi ait. Meteorismo abdominali quoque clyſmata ſimplicia & fomenta mollientia objicit MARTEAU *T. XI.* p. 160. Miror ill. Anglum Vermium catervæ ægros hic adeo torquenti Calomel ſuum oponuiffe, vel Æthiopem min. *l. c. T. VII.* quos Citri acor, vel Chinæ, Gentianæ, ac Myrræ amaror adæquatiuſ necaret. Ita ſentit RAULLIN *T. IV.* p. 236. & antifepticum vermiſugum ex decocto Chinæ camphorato composuit MARTEAU *T. IV.* p. 226. præeunte in ſimili epidemia RAMAZZINI *l. c.* 1689. Ill. WALL Diarrhoeam urgentem Cortici & Spiritui Mind. addita Caſcarilla, vel Decocto albo, &c. debellat *l. c.* p. 410.

## §. 23.

Subacto morbo HUXHAM, ad appetitum & vires restaurandas, in emungendis probe primis viis omnem adhibere ſolertiaſ jubet, ne ſimul febris lenta pertinax remaneat cum Nausea, Flatulentia, & Obſtructione

D 2

paro-

parotidum maxillariumve conjuncta. Has tamen indurations rebelles repetitæ Calomel parçæ dosi, imo frictioni mercuriali pulchre cedere subjugit. Scirrhos glandularum residuos affatim hauſtis ex ligno Sassafras, Rad. Sarsap. Brusci, Rubiæ tinct. Herb. Fumar. Scolop. ptisanis, nec non Tartari chalyb. parca indies dosi emollit RAUILLIN *l. c.* Ita, continuato, coronidis loco, per tempus Corticis usu, nulla amplius incarceratur cacochylia, cunctarum redintegratur actionum pristinus vigor. WALL quoque *l. c.* p. 412. tunc temporis Corticis usui crebrum interpolat ex Rheo purgans, robur tandem fibris Aquis martiatis cum Elixir Vitriolato addens, ut omnis recidivæ prohibeatur metus. Vox nasuta emollientia ex Gummi Arab. in aqua soluto, vel Oleo Amygd. dulcium, Mucil. Altheæ, vitell. ovi exposcit, cum balneis vaporis per os hauſtis, experiunte DEBERGE *Tom. XII. p. 162.* Summus epidemiæ gradus vulgo hectico calore, sudoribus nocturnis, Apofititia, virium sensuumque prostratione excipitur, quæ mala tamen asinino lacti, Chinæ decocto, ac Elixir Vitrioli upplurimum cedunt, notante FOTHERGILL *p. 406.*

## §. 24.

Ingenuus hic Britannus *p. 401.* ægro semper lectulum commendat mitissimo quoque malo, neglecta enim hac cautela, Diarrœa, evanidus cutis rubor, morbi protractio, cui auræ tepor semper adeo blanditur, timenda est. Morbo, ubi ipse crassamenti sanguinis mucus in tabum solvit, animalem jungere victum oleum igni addere effet. Quodsi vero ventriculi vires fractæ julcula exigunt, sint ex vitulo, pullo hordeo repleto, cum Lujula, Nasturtio aq. &c. cocta. Bene DUPUY in bilioso anginosa putri inflammatione poscam cum Nitro hordeatum, vel limonadam proponit. Nec serum lactis cum Syr. Viol. pro potu vituperandum censeo. Sub tertio studio parcum vinum cum infuso Menthae, Melissæ, Salviæ, decoctum Hordei, panis, Sago, imo, fractis vehementer viribus, merum permittit FOTHERGILL *p. 403.* Incauti nimis cito frigori fefe mancipantes recidivas, Asthmata, tumores abdominis, vel aliarum partium, Leucophlegmatiam, Debilitatem, Naufeam, Eruptiones pône aures, Tusses, Raucedines incurunt teste TISSOT *l. c.* morbus enim recidivis valde obnoxius est, præcipue si ægri, eo sublati, alias putres experiuntur febres.

## Corrigenda.

Pag. 5. lin. 14. lege SERANE Pater in *Act. Societ. Monsp.* citante ill. DE SAUVAGES *l. c. T. II. P. I. p. 490.*  
 7. 17. lege ill. DE SAUVAGES *l. c. Tom. II. P. I. p. 487.*

**ULB Halle**

004 592 964

3



*Nr. 1 + 12*



B.I.G.

Black

19  
18  
17  
16  
15  
14  
13  
12  
11  
10  
9  
8  
7  
6  
5  
4  
3  
2  
1  
0

Farbkarte #13

Yellow

White

Magenta

Red

Green

Cyan

Blue



# FEBRIS MALIGNÆ TOPICÆ ANGINA GANGRÆNOSA VOCATÆ

SUCCINCTAM DELINEATIONEM  
CONSENSU

GRAVISSIMI MEDICORUM ORDINIS  
PRO LICENTIA

SUMMOS IN MEDICINA HONORES  
ET PRIVILEGIA DOCTORALIA  
LEGITIME ASSEQUENDI  
SOLENNI ERUDITORUM ARBITRIO DISCUIENDAM  
SUBJICIT

FRANCISCUS LALLEMAND,

LIXHEIMENSIS.

DIE 6 MENSIS NOVEMBRI MDCC LXVI.  
H. L. Q. C.

---

ARGENTORATI,  
EX PRELO KÜRSNERIANO.